

cipit, conceditur in absentia a loco sui beneficii facultas fructus ejusdem percipiendi.

78. Tandem inter causas eximentes ab obligatione residentiae est indultum quod vocant jubilationis. Quamvis in jure canonico nullus habeatur textus qui exemptionem a choro ob longum servitium concedat; tamen ne nimis dura conditio videretur Clericorum, qua serviendi finis nullus daretur, ad exemplum levitarum *V. T. Numer. c. 8.* et veteranorum militum jure Romano in *l. 1. c. De Veteranis*, ex praxi Ecclesiae quam sequitur S. Congr. Concilii inductum est, ut Canonicis et Beneficiatis qui 40 annorum spatio continuo laudabili servitio functi sunt, facta petitione concederetur exemptio a choro et a residentia cum facultate percipiendi fructus beneficii sui non solum sed etiam distributiones. Sane clausula quae apponi solet indultis jubilationis hæc est: 'Ut quamvis in posterum non inserviat, nihilominus fructus omnes et distributiones quotidianas sui canonicatus percipere valeat perinde ac si choro et officiis divinis personaliter interesset' (rel. II. 127.). Cum vero quaereretur: 'An ultra distributiones quotidianas admittendus sit canonicus jubilatus ad participationem anniversariorum fixorum, in quibus non adest conditio dividendi inter presentes tantum?' Sacra Congregatio Concilii in *Patavina die 9. Junii 1714* respondit '*Affirmative.*' In eodem sensu eadem S. Congregatio respondit in *Novariensis die 29. Novembris 1681* et in aliis causis. Præstat vero resolutionem exhibere, quæ data est in *Aquipendien. die 1. Aprilis 1719.* Proposito dubio: 'An Canonicus rigore indulti jubilationis participare debeat de emolumentis adventitiis anniversariorum, et associationum cadaverum, si functionibus non intersit?' S. Congregatio respondit '*affirmative* quoad primam partem, dummodo non obstet voluntas testatoris vel dantis. Quod vero ad secundam partem *negative.*' Ut vero concedatur jubilationis indultum, continuum et laudabile clerici servitium debuit esse in eadem Ecclesia. Hinc non attenditur servitium in pluribus distinctisque Ecclesiis, et præsertim si ad diversas Dioceses pertineant. Ita S. Congr. in causa proposita *die 24. Sept. et die 17. Decembr. 1718* sub tit. *Dubia Jubilationis ad 2<sup>m</sup> dubium.*

79. Dixi *præsertim* etc. Nam non desunt casus concessæ jubilationis clerico qui servitium præstiterit in pluribus Ecclesiis ejusdem civitatis. Ita in causa *Verulana die 17. Septem. 1842.* Et hic quidem mos servatur pro Ecclesiis urbis Romæ. Scilicet in

concessione indulti jubilationis clericis possidentibus beneficia in Urbe Roma computatur servitium chori præstitum successive in duabus vel pluribus Ecclesiis Urbis.

80. Servitium vero debet esse continuum. Unde S. Congregatio denegavit indultum ob servitium 40 annorum non continuum. Ita in *Romana jubilationis 6. Augusti 1711* (L. Decr. 62) et in *Maceraten. 8. Mart. 1698.* (L. Decr. 48). Sed quaeritur: si clericus obtinuit indultum absentiae, tempus quo legitime abfuit, debetne computari in spatio 40 annorum?

In cit. causa *Dubia Jubilationis* etc. sub *n. 1.* quaesitum fuit: an indulgenda sit jubilatio canonicis et beneficiatis, qui spatio annorum 40 ecclesiae inservierunt, licet dicto tempore et spatio cum debitis licentiis et indultis abfuerint ab ecclesiis vel ex causa infirmitatis, vel ex causa studiorum, vel pro suæ Ecclesiae servitio; vel ratione munerum pro quibus obtinuerunt indulta abessendi pro diebus et horis, vel indulta simpliciter et absolute abessendi ab ecclesia durante officio sibi commisso? Huic dubio responsum est: '*Affirmative* quoad absentes ex causa infirmitatis cum debitis licentiis et indultis, et ubi pro suæ Ecclesiae servitio vel cum indultis abessendi pro diebus et horis; *negative* autem quoad absentes ex causa studiorum, et quoad habentes indulta abessendi absolute durante officio'. Idem fuit decisum in causa *Lauretana die 20. Decembris 1806.*

81. 2<sup>o</sup>. Concedi solet indultum jubilationis, dummodo a reliquis Canonicis et Beneficiatis debitus cultus decenter præstari possit. Hinc mutatis circumstantiis, si cultus divinus minuatur, Canonicus vel Beneficiatus jubilatus possunt iterum ab Episcopo revocari. Ita tenuit S. Congr. Concilii in causa *Aquilana die 27. Sept. 1659 ad 3<sup>m</sup> dubium* (lib. Decr. 21.) et in causa *Sabinensi die 2. Octob. 1717* (lib. Decr. 67.) nec non in responsione ad *4<sup>m</sup> dub.* citatæ quaestionis *Dubia Jubilationis die 24. Sept. et 17. Dec. 1718.* Facit autem ad rem *cap. 16. h. t.*

82. Animadvertendum vero est, indultum jubilationis eximere non solum ab onere servitii choralis, sed etiam ab onere residendi in civitate, vel pago ubi beneficium erectum est ac proinde clericus jubilatus potest figere domicilium suum etiam alibi; quemadmodum docet Bened. XIV. *De Syn. l. 13. c. 9. n. 15.* Præterea non desunt resolutiones S. Cong. Concilii quæ hanc sententiam con-

firmant. Sane in cit. causa diei 24. Sept. et diei 17. Dec. 1718. proposita fuerunt 'Dubia jubilationum, et cum quæreretur sub 5<sup>o</sup>. 'an, non obstante jubilationis indulto, jubilatus teneatur ad residendum, licet non teneatur ad interessendum', responsum fuit 'negative'. Pariter in causa S. Angeli in Nado diei 15. April. 1690. (lib. IV. Decretor. pag. 256.) dictum est 'Canonico jubilato deberi distributiones, nec ad residentiam localem teneri'. Idem dictum fuit in causa Patavina jubilationis proposita die 9. Junii an. 1714. (lib. 64. Decret. pag. 217.) Hinc Canonicus jubilatus non tenetur per se aut per alium missam conventualem celebrare per turnum, ceu pluries resolvit S. Congregatio Concilii ex. gr. in *Aquipendien. diei 23. Mart. 1697.*, in *Senensi diei 12. Maji 1759.*, in *Woscesina diei 11. April. 1818.* et aliis omissis in *Prenestina diei 21. Novembris 1835.*

83. Quid vero dicendum de canonicis vel beneficiatis qui coadjutorem obtinuerunt, poteruntne abesse a loco beneficii?

Negativa sententia tenenda est. Nam coadjutor conceditur solummodo ut Canonicus vel beneficiarius per alium præstet officium chori. Hinc si coadjutor sit negligens, de illius negligentia respondere debet coadjutus. Quare praxis inducta est, ut coadjuti qui ex justa causa abesse a loco beneficii desiderant, exposcant et obtineant a Sacra Congregatione Concilii indultum speciale absentiae.

#### De Distributionibus.

84. In materia de *Distrib.* conf. Bened. XIV. *Inst. Eccl. CVII. n. 39 et sqq.* et Giraldi *Exposit. Jur. Pontific. Pars I. Comm. in c. XVII. h. t. Sect. 358.* nec non Fagnanus, com. ad *Cap. 32 De Præbendis.* Ut tractatum compleamus de residentia canonicorum et aliorum clericorum possidentium beneficia ecclesiastica, aliquid addendum est de distributionibus. Redditiu canonicatum et beneficiorum bifariam dividuntur; alii scilicet sunt *fructus annui* qui adsignantur propter annuam et ordinariam residentiam in loco beneficii, præstitumque servitium beneficio adnexum, alii autem dicuntur *distributiones quotidianæ* quæ rependuntur clerico propter singulas præsentias in choro et divinis officiis. Fructus annui appellantur *fructus præbendæ* vel absolute *præbendæ*; distributiones vero appellantur *præsentiae victualia*, et *beneficia manualia cap. un. h. t. in 6<sup>o</sup>.*

85. Porro distributiones quotidianæ in aliquibus Cathedralibus Ecclesiis vel Collegiatis ex ipsa fundatione jam fuerant constitutæ, in locis vero ubi vel nullæ fuerint distributiones, vel adeo tenues, quæ a negligentibus clericis facile despicerentur, statuit Concilium in *c. 3. Sess. 21 et in c. 3. Sess. 22. De Reform.* ut in qualibet Cathedrali et Collegiata Ecclesia tertia pars fructuum et quorumcumque proventuum tam dignitatum quam canonicatum, personatum et officiorum separari deberet et in distributiones quotidianas converti, ac inter illos, qui divino officio intersunt, dividi juxta proportionem designandam ab ipso Episcopo, qui hac in re procedere potest etiam tamquam Sedis Apostolicæ delegatus, ne ejus dispositio impediatur ex prætextu exemptionis vel capituli vel alicujus ex canonicis.

86. Porro indifferens est in praxi, utrum distributiones positivo modo constitutæ sint, scilicet ad instar retributionis cujusdam, quæ præsentibus rependatur, vel utrum absentes punctaturis seu amissione determinata quotæ pecuniæ mulctentur, dummodo complexus punctaturarum in anno quantitatem a Tridentino Concilio designatam attingat.

87. Præter has distributiones, quæ a jure determinantur, dantur plerumque etiam quædam distributiones, quæ pro aliqua functione speciali vel a fidelibus solvuntur, vel a piis testatoribus aut fundatoribus relictæ sunt. Porro distributiones istæ quæ pro anniversariis vel aliis servitiis institutæ sunt, aut tribuuntur, in duas species dividi solent ita scilicet, ut aliæ quidem simpliciter pro anniversariis ipsis vel servitiis solvantur, aliæ autem a piis fundatoribus relictæ vel constitutæ sint, aut a fidelibus tradantur sub clausula, et conditione, ut tribuantur solummodo iis qui actu et personaliter præsentis sunt in divino servitio, seu in aliqua speciali functione; quæ postremæ distributiones vere et proprie *manualis* appellari possunt; quia quodammodo manibus præsentium traduntur post opus sacrum completum. Appellari etiam solent stricto sensu *distributiones inter præsentis*.

88. Porro has secundæ speciei distributiones nemo lucratur qui personaliter præsentis non sit, nec legitima absentiae causa jus easdem assequendi secumfert. Obstat enim expressa fundatoris vel dantis voluntas, quæ veram et personalem præsentiam exigit; quam voluntatem Ecclesia violari non sinit. Quare istas distri-

butiones, uti vidimus, nec ipsi canonici aut beneficiarii jubilati percipiunt.

89. Quibus positis, quæritur, quinam percipiant distributiones ex tertia parte fructuum designatas et alias quæ simpliciter pro aliqua functione solvuntur?

In genere hujusmodi distributiones absentes non lucrantur *c. un. h. t. in 6., c. 3. sess. 22. de Ref. et cap. 12. sess. 24. de Ref.* Ex quibus locis juris infertur, nec ullam consuetudinem, nec Capitulum statuta inducere legitime posse praxim, qua absentibus distributiones concedantur. Verba Tridentini Concilii *sess. 24. cap. 12.* hæc sunt: 'Distributiones vero, qui statis horis interfuerint recipiant; reliqui, quavis collusionem aut remissione exclusa, his careant juxta Bonifacii decretum, quod incipit: *Consuetudinem*, quod S. Synodus in usum revocat, non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus.' Quapropter canonici præsentibus non possunt absentibus amissas distributiones remittere seu condonare. Et in *cap. 3. Sess. 22. de Ref.* Concilium decernit 'ut . . . qui . . . servitium . . . quolibet die statuto non impleverint, illius diei distributionem amittant, nec ejus quoquomodo dominium acquirant'. Præsentibus igitur lucrantur distributiones.

90. Qua in re animadvertendum est, in more fuisse positum aliquarum ecclesiarum, ut omnes fructus et proventus distributionibus comprehendantur, nulla relicta reddituum portione, quæ fructus præbendæ constituat. Hac in hypothese binæ tertiæ partes fructuum et proventuum censentur representare præbendam, et reliqua tertia pars constituit proprie dictas distributiones.

Quare hoc in casu clerici absentes binas tertias partes harum distributionum percipiunt, amittunt vero reliquam tertiam partem, quemadmodum S. Congr. sæpe resolvit ex. gr. in *Sorana diei 22. Aprilis 1679* et in *Venusiana 30. Julii 1763.*

91. Animadvertendum insuper est, praxim s. Congregationis esse ut, quoties major pars reddituum distributionibus adsignetur, non sinat distributiones omnes amitti a clerico qui obtinet indultum absentiae; sed hoc in casu uniendi sunt fructus cum distributionibus, et facta simul computatione, clericus absens amittit solam tertiam partem ex fructibus et distributionibus simul copulatis.

92. Adsignari autem possunt quædam causæ, ex quibus jus canonicis et beneficiatis derivat percipiendi etiam quotidianas distributiones tempore absentiae.

Præter indultum jubilationis, de quo egimus superius n. 78, quod ex concessione S. Sedis in singulis casibus locum habere solet, peculiare et ordinariæ causæ pro distributionibus percipiendis adsignantur in *cap. un. h. t. in 6º.* Prima causa est infirmitas. Infirmitas vero talis debet esse, quæ impediatur celebrationem divinorum officiorum. Impedire autem dicitur infirmitas celebrationem hanc, sive cum, viribus debilitatis, Ecclesiam adire et choro assistere nequit clericus; sive quando ex accessu ad Ecclesiam et ex assistentia in choro adesset periculum vitæ, vel periculum aggravandi morbum. In dubio autem judicis arbitrio, qualitas infirmitatis determinatur. Hoc vero jus percipiendi distributiones juxta auctores non conceditur illis clericis, qui dum bona fruerentur valetudine, non consueverunt interesse choro. Hæc sententia doctorum fulcitur opportunis resolutionibus Sacræ Congregationis Concilii. Sane ita tenuit S. Congregatio in causa *Mantuana diei 6. Febr. 1627* (lib. decret. XIV. pag. 197). Idem tenuit in *Reatina 7. Martii 1687* (lib. Decr. XXV. p. 345).

93. Causæ infirmitatis ex *cod. c. un. h. t. in 6º.* adjungenda sunt etiam corporis necessitas, et evidens Ecclesiæ utilitas. Sit primum de corporis necessitate, seu de externo aliquo impedimento, quo clericus detineatur quominus in loco beneficii resideat et choro adsistat. Porro necessitas hæc optime æquiparatur infirmitati; absentia enim in casu procedit ex causa quæ induit naturam vis superioris et causæ necessariæ, cui resisti nequit. Hinc absens ex causa metus principis sæcularis vel viri potentis lucratur distributiones. Ita tenuit S. Cong. in causis *Fundana 3. Julii 1734*, in *Carpensi diei 17. Sept. 1616* et in *Caputaquen. diei 18. Augusti 1721.* Idem dictum est de canonicis absentibus ex causa deportationis in *Sublacen. diei 14. Julii 1817.* Sic etiam S. Congregatio Concilii permisit carceribus injuste detento distributiones percipere ita respondens *diei 23. Sept. 1685:* 'S. Congregatio sæpius censuit, indebite carceribus detento deberi distributiones quotidianas, non secus ac si ipse continuo Ecclesiæ inservisset' (*L. 25. Decret. pag. 405*)

94. Quoad utilitatem Ecclesiæ animadvertimus, utilitatem requiri præcise Ecclesiæ illius in qua beneficium erectum est, vel Ecclesiæ universalis. Hinc lucrantur distributiones canonici qui Romano Pontifici tanquam familiares inserviunt, vel qui pontificia legatione funguntur pro expediendis negotiis universalis Ecclesiæ

*arg. c. 14. h. t.* At præ oculis habenda est resolutio S. Congregationis Concilii in *Romana diei 6. Maji 1820*, quæ resolutio probata fuit a Sum. Pontifice Pio VII. die 10. subsequenti. Videlicet cum ageretur de canonicatibus et beneficiis Ecclesiarum Urbis proposita sunt sq. dubia. Primum hoc erat. 'An et quomodo sit confirmandum vel concedendum indultum abessendi a choro addictis S. Sedis servitio sive in temporali, sive in ecclesiastico munere?' Responsum fuit: 'Affirmative in omnibus pro diebus et horis, amissis distributionibus inter præsentibus tantum.' Igitur clerici isti lucrantur distributiones ordinarias.

95. Dubium secundum hoc erat. 'An et quomodo sit concedendum indultum iis, qui alicui ex dictis muneribus vacantes extra locum beneficii, nunquam possunt, durante munere, suis Ecclesiis deservire et choralis officiaturæ personaliter interesse?' Responsum fuit: 'Negative, exceptis nunciis et internunciis.'

96. 3<sup>o</sup>. Percipiunt distributiones quotidianas etiam canonici quoties ad Concilium mittantur a Capitulo, vel quoties alio se conferant ut vel beneficii sui, vel propriæ Ecclesiæ aut Capituli negotia gerant, lites et jura eorumdem persequantur. *C. un. h. t. in 6<sup>o</sup> et c. 13. h. t.* Hoc in ultimo casu in libro punctaturarum adnotari solet: *absens pro Ecclesia*. Ad rem faciunt resolutiones S. Congregationis in causis *Panormitana ann. 1588* et *Segob. ann. 1589* relatæ a Bened. XIV. in Inst. 104. n. 54.

97. Reputantur insuper utilitatem Ecclesiæ gerere Canonicus Theologus et Canonicus Pœnitentiarius, dum officium complent sibi nomine Capituli commissum. Hinc Canon. theologus ea die qua lectiones habet, et Pœnitentiarius eo tempore, quo confessiones in Ecclesia audit, absentes a choro lucrantur distributiones quotidianas, perinde ac si choro adessent. Quoad Pœnitentiarium clara est dispositio in *c. 8. sess. 24. De Ref.* in Tridentino. Quoad vero Theologum afferri potest, præter alias, decisio S. Congregationis Concilii in causa *Limensi diei 18. Jun. 1622*. Cui decisioni præiverat alia in causa *Mediolanensi ann. 1589*.

98. Iisdem quoad jus percipiendi distributiones accensendus est Canonicus qui præbendæ suæ adnexam habet curam animarum in Ecclesia sui canonicatus. Hic enim si tempore quo divina officia celebrantur, audiat confessiones, vel alia munia ad ipsam curam spectantia exercent, lucrari debet distributiones quotidianas etiamsi divinis officiis non intersit: quemadmodum in terminis respondit

S. Congr. in causa *Mediolanensi diei 3. Febr. 1699*. Censendus enim est Parochus utilitatem evidenter agere Ecclesiæ suæ: de quo in *c. un. h. t. in 6<sup>o</sup>*. fit sermo. Si autem canonicus vel alius beneficiatus curam animarum exercent in alia Ecclesia, distributiones non lucratur dum a choro abest ratione officii sui parochialis, licet fructus præbendæ suæ percipiat. Ita S. Pius V. in sua *Const. 63 Conf. Fagnanus Comm. in Cap. Licet De Præb. n. 67.* et Benedictus XIV. *cit. Instit. n. 56.*

99. Reputatur insuper causa legitima pro lucrandis distributionibus, 1<sup>o</sup> visitatio sacrorum Liminum sive quando Canonicus comitetur Episcopum in visitatione peragenda, sive quando ab Episcopo impedito Romam mittatur. Ita post decretum Sixti V. censuit S. Congr. in *Sulmonensi diei 5. Dec. 1626*, et, aliis omis- sis, in *Monasterien. 15. Maji 1723*. Pariter lucrantur distributiones Canonici inservientes Episcopo Pontificalia exercenti juxta præscriptum Tridentini *cap. 12 verb. Omnes vero Sess. 24* tam in Ecclesia Cathedrali, quam alibi. Fagnanus *Comm. in Cap. 22 de Præb. n. 168* refert in hoc sensu resolutionem S. Congregationis.

100. Tandem ex Literis Encyclicis Clementis XI. *diei 1. Febr. 1700* ad Episcopos Italiæ et insularum adjacentium habemus, percipere distributiones illos Canonicos, qui certis per annum diebus in ædibus regularium recepti vacant spiritualibus exercitiis. Sed requiritur 1<sup>o</sup> ut obtineatur prævia licentia Episcopi; 2<sup>o</sup> ne recessus contingat temporibus Adventus et Quadragesimæ, vel diebus festis solemnioribus; 3<sup>o</sup> ne omnes simul Canonici recedant et in claustris regularium sese recipiant; 4<sup>o</sup> ne servitium chori detrimentum capiat.

101. Non lucrantur vero distributiones 1<sup>o</sup> Canonici absentes causa studiorum. Ita resolvit S. Congr. in *Ariminens. diei 18. Aug. 1731* et in *Maceraten. diei 10. Dec. 1616*. Conf. Bened. XIV. *Instit. Eccl. 107*. In casibus vero particularibus standum est tenori Rescripti S. Sedis. Siquidem ob circumstantias particulares S. Sedes absentibus ex causa studiorum jus concedere potest distributiones quotidianas percipiendi. 2<sup>o</sup> Episcopus, uti supra vidimus N. 72, juxta tenorem *capp. 7 et 15 h. t.* jus habet unum vel duos canonicos assumendi, qui ei operam suam præsent in Diocesano regimine exercendo. Jamvero hi duo canonici absentes a choro dum Episcopo inserviunt juxta sensum *cap. 7 cit.* percipiunt quidem fructus præbendæ, distributiones autem quotidianas non lucrantur. Hanc conclusionem in terminis S. Congregatio Con-